



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Fides in quem finem dicitur à Paulo gratis iustificare peccatorem. tit. 41

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

probria: audit correctionē, & sequitur meliora: summa, fides in dilectione non est sui iuris, sed subijcitur per omnia obedientiæ Ecclesiæ, & illam audit, Mat. 18. Fides igitur sine dilectione nihil prodest, sicut Christus Mat. 7. respondit illis, qui dixerunt, Domine, in nomine tuo prophetauimus, miracula fecimus, &c. Sed quoniam extra dilectionē hæc fecerunt, audiunt. Discedite à me operarij iniquitatis &c. Sicut igitur fides est necessaria ad salutem, sic etiã charitas & lectio, &c. quia ambæ præcipiuntur, I. Ioan. 3.

*FIDES IN QUEM FINEM  
dicitur à Paulo, gratis iustificare  
peccatorem.*

## TITVLVS XXXXI.



Rimò, quoniã iuxta cursum mundi, nemo præstat aliquod beneficium nisi præcedente merito. Et sic etiam ratio humana cõcludit, si meretur apud Deũ operibus & præceptis legis Dei, tũc iustificaberis: ergo oportet præcedere meritum operum, iustificationem. Sic volunt Iudæi & omnes increduli.

Subindè, quoniam legi nemo satisfacit perfectè idè conscientia manet incerta, etiam si legem iuxta omnem possibilitatem quis fecerit, Rom. 4. Lex inoperatur: Sed quoniam alia res est cum Deo, qui ipsam beneficij accipit à seipso, & non à nostro merito sed ex misericordia, qua elegit nos ante constitutionem mundi, Ephe. 1. Idè inquit Apostolus, quod gratia sine omni præcedenti merito nostro, solùm propter Christũ iustificamur, Rom. 3. Per fidem, & quod fides in promissionem nos certificat: vt igitur conscientia turbata certificetur, idè dicit Paulus quod peccatorem gratis per fidem iustificatur.

Secundè

Secundò, discernendę tamen sunt huiuscemodi propositiones, Deus iustificat gratis, id est, sine omni medio, pœnitentiã, Sacramentis, fide, dilectione, operibus, obedientiã legis, &c. Et Deus iustificat gratis per media: primum falsum est. Nam Christus iungit fidem pœnitentiã, Marc. primo. Fidem & Baptismum, Mar. vlr. Fidem & conscientiam bonam, Paul. 1. Tim. 1. Ergo non sic gratis iustificat sine medio.

Alterum verum est, Deus per fidem iustificat prœputium & circūcisos, Rom. 3. Et quoniam media non sunt merita, ideo quandò Deus per media iustificat, adhuc gratis iustificat, sic dicit Luc. 17. Cum omnia feceritis, dicit, quoniam adhuc serui inutiles sumus. Quod facere debuimus, fecimus, sed nunquid gratiam debet Dominus seruo? Non puto. Iudæi docebant opera decalogi tantum sine fide Christi iustificare. Sectę solam fidem: sine operibus iustificare: at Ecclesia Catholica docet gratiam & misericordiam Dei propter Christum iustificare per media fidei & operum: fides apprehendit, opera retinent, gratia & misericordia Dei efficit & operatur.

Tertiò, Hęc media per quę Deus nos iustificat, licet non sint causa & merita iustificationis, attamen quia nos illa media acceptamus, & scripturę credim⁹, ac obedientiam pręstamus, ideo & sua habent pręmia, vnde Ioan. 3. dicitur: Qui credit, id est, hoc medium fidei habet, per quod Deus distribuit & operatur iustificationem, hic non damnatur. Qui autē non credit, id est, hoc medium fidei non habuerit, illum Deus non iustificat, sed condemnatur: non operatur remissionem sine medio. Sic instrumentum non est artifex. Artifex tamen per instrumentum perficit opus. Non tamen opus tribuitur instrumento, sed artificii. Sic Deus per media instrumenta, vt fidem, Sacramenta, opera &c. iustificat gratis &c. Et quoniã homo est instrumentum voluntarium & rationale,

ided differt ab alijs non voluntarijs, & sic præmia sua habet.

## CREDERE IN CHRISTVM

*quid sit verè & integrè.*

### TITVLVS XLII.



Primò, Credere in Christum, est non solum credere, quòd filius Dei sit, quòd mortuus est in cruce pro salute totius mundi. Hoc enim dæmones Marc. 1. & Luc. 4. & omnes mali credunt, quòd verum sit: sed verè & integrè credere in Deum & filium suum vnigenitum, est Deum diligere, obedire eius præceptis, timere, facere proximo, sicut vis tibi fieri, Mat. 22. Hæc enim opera sunt tua fides, hæc testatur fidem tuam. August. serm. 37. de tempore: Fides à facto est, fac ergò quod debes, & fides est vera. Ideò opera tua sunt fides.

Secundò, credere verè in Christum, non est cogitatio separata ab obedientia Dei & eius præceptis. Sic quòd solum credis, Christum te redemisse: Hæc fides cogitatio est, & non fides: idèò quòd facis opera, id est, diligis Deum & proximum, hoc facere est fides vera. Matthei 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &c. sed qui facit voluntatem patris, hic scilicet credit. Ergo sine facto operum fides non est vera. Quicumq; ergo viuit contra Dei præcepta, contra dilectionem proximi, in odio viuit, aut luxuria, & peccatis alijs &c. hic non rectè dicitur credere. Si crederet, Deo obediret, ergo opera tua sunt fides tua. Non igitur fides est res separata à facto operum, sed factum opus est fides, &c. opus est fides tua, non vana opinio, sicut etiam Iacobus dicit 2. cap. Ostende ex operibus fidem tuam, & exemplificat de famelico & nudo &c. Sic dicitur Matt. 1. Abraham gen. Isaac, Isaac genuit Iacob, &c. aut Isaac est genitus ab Abraham,